



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini
Carmina Selecta**

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Cavillaei Rvris Nympha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



CAVILLÆI RVRIS
NYMPHA.

MOLLIBUS in pratis dum nuper luderet
Ægle,

Una CAVILLÆAS inter celeberrima nymphas,
Audierat, namq; is rumor jam creber in urbe,
TELLERIUM summis titulis & honoribus auctum.
Unde sibi, ruriq; suo sperabat honores.

Demens! quæ domini mores experta modestos
Haftenus, insanos agitabat pectore fastus.

Major visa sibi, & fortunæ oblita prioris,
Tum socias cœpit paulatim temnere nymphas,
Nec jam ferre pares: latis ubi præsidet arvis,
Affectat nova jura novasque imponere leges:

Is nymphæ fastus nymphas urebat agrestes:
Scilicet illa ferox animi, incessuque superbam
Haud solito mentita deam, toto ore sonabat,

Per montes, vallesque, CAVILLÆ OSQ; recessus,
TELLERIUM, Francas pandentem edicta per urbes
Curarum strepitu procul, & popularibus undis,
Illum velle suo interdum succedere ruri.
Liber ubi respiret, & otia dulcia carpat;
Jam prope adesse: suæ, supremos inter honores,
Non adeo Villæ oblitum immemoremque fuorum:
Et narrabat, uti lento pede cernua vultus
Turba ministrantum fasces præferret eunti,
Clavosque, trabeasque graves, cum torquibus aureis,
Et quas tingit honos sacrato murice vestes,
Et libram Themidis, necnon pro jure tuendo
Terribiles hastas, nudos monstrabat & enses.
Hac non visa tenus rudibus spectacula nymphis.

His super addebat Regem Regalia jura
Munus ad hoc cessisse, suos & frontis honores,
Et capitis radios. Hinc sacro erumpere vultu
Fulgura, quæ blando placidus ni temperet ore,
Terreat attonitas majori numine nymphas.
Illæ autem trepidare, iterum petere antra, recessusque
Umbriferos, vallesque cavas, & stagna profunda,
Naiadum hospitia, &, nativa cubilia, rupes.


Interea, densis properant dum se abdere sylvis,
Expectatus adest, tacitusque supervenit Heros,

Omnia, ut ante, sibi similis: villamque salutans,
Ipse suam, Geniumque loci, antiquosque Penates
Agnoscat. Lætis subito se sustulit undis
Nympha cavâ sub rupe latens, & murmure blando
Grata salutavit dominum, & plausum edidit urnâ.
Ante fores nulli strepitus, non cardine valvæ
Ingentes crepuère: ultro se janua pandens
Accepit venientem, & sensim admisit in hortos.
Non vigiles hîc excubiæ, durus-ve fatelles
Torva tuens primos aditus præcluserat: uno
Tuta fatis custode domus. Non arma, neque illum
Hastati circumstant: hos alter honores
Ambiat, ille suâ se majestate tuetur.

Felices sylvæ, loca sola, vmbraeque silentes,
Secessus placidi nemorum, collesque beati!
Quando per vestras, quæ maxima gloria, valles,
Fortunæ populorum omnes & fata reguntur.
Aspiceres nemus attonitum, circum arva filebant:
Non volucres cantu, rauco non murmure fontes,
Verticibus leviter motis non undique sylvæ,
Aurarum-ve leves animæ, turbastis amicam,
Res agitat regni magna dum mente, quietem.
Una dryas fertur veteri dudum abdita trunco,
Per tenues rimas laxato cortice furtim

TELLERIUM vidisse , animumque expleſſe videndo.
Protinus exiliens pavidas vocat illa ſorores ,
Namq; omnem nondum exuerat vaga turba timorem:
Audaces facit illa , citæ cava teſta relinquunt
Ora exertantes. Veluti ſi multa palumbes ,
Quas fera tempeſtas ſub turribus abdidit altis ,
Contigerint puri ſoles , & aperta ſerena ,
Ad paſtum redeant , & pabula nota requirant.
Huc Galatea venit , venit huc formoſa Lycoris ,
Flava Thoe , ſubfuſca Ephyre , pharetrata Ligea ,
Ambæ Sequanides , roſei quoque plena pudoris
Candida Nina , emeret totis quam uxorius undis
Sequana , virgineum peçtus ſi dona moverent.
Huc etiam venêre , habitant quæ numina valles ,
Verſalias valles , habitant quæ numina montes.
Vos quoque Sanclovias circum quæ luditis undas ,
Ornatæ vittis vos verſicoloribus omnes ,
Naiades huc veniſtis , & omnibus excita pagis
Ruſtica plebs , cantans venit ipſe bipennifer Algon ,
Cum Lycida frondator Ilax , terrorque luporum
Alpheſibœus , & altâ ingens cum falce Menalcaſ ,
Et Corylas puer , & villoſus membra Palæmon.
Auribus arreçti , defixi obtutibus omnes ,
TELLERIUM obſervant taciti ; ne immenſa tuentûm

Lux oculos perstringat, in imis vallibus omnes,
Omnes frondiferum nemorum per opaca latebant.
O quam nuda places operosi nescia fastus
Simplicitas! lucis agitantem multa sub altis,
Non radiantem auro, nulloque satellite septum,
Unum omnes trepidi longè admirantur, & unum
Certatim aspiciunt: stupuere, avidique tuendo
Vix credunt oculis, iterumque iterumque revisunt.
Pro turba famulantum, & conspicuo comitatu,
Illi aderat magna inspirans comes unica Virtus.
Nympha loci erubuit, tanto præsente magistro
Dedidicit primos jam non temeraria fastus.



FRANCIÆ CANCELLARIO
in agro suo rusticanti.



OS CAVILLÆI felicia numina ruris,
Umbriferæ valles, vos antra, altique recessus
Sylvarum, colles nimiùm, fontesque beati:
Quando rure datur meditantem grandia vestro,
Simplice sub cultu, nulloque satellite cinctum
TELLERIUM aspiciere, & totum observare tuendo.
Hâc ego fortunâ non Rusticus esse recusem.